



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118855**

§. 12. Ludovicus Hassiæ Landgravius a Mansfeldio captus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. leus Præfectus. Capti fuere plusquam  
 A. C. 1622. mille quingenti, ex quibus præcipui  
 præstantesque erant Belliduces Stein-  
 felfius, Audinellus, Helmstadius, Lö-  
 wensteinus, Ruestus, Brandtius, Ha-  
 fius, Weylerus, Buttelbachius, plu-  
 resque magni nominis Tribuni, atque  
 Præfecti. Victoribus in prædam ces-  
 fere ænea belli tormenta triginta octo,  
 mortaria quinquaginta tria, quinquaginta  
 bellico apparatu, & quadringenta  
 sex annona & pecuniis onusti cur-  
 rus unacum ducentis viginti quinque  
 Talerorum millibus inter victores mili-  
 tes distributis præter alia florenorum  
 aliquot millia. Denique Tillianæ  
 fortitudinis monumenta numeraban-  
 tur septem vexilla, & decem equestria  
 hostium signa, ipsumque Durlacensis  
 Prætorianum: ipse vero Marchio post  
 Hæchstensem cladem dimissis copiis  
 suis Hohenbergam secessit.

## §. XII.

*Ludovicus Hassiæ Landgravius a  
 Mansfeldio captus.*

*Brachel.  
 Hist. l. 2.  
 pag. 55.  
 Lotich. l. II.  
 cap. 5.*

Accepta hac clade, Durlacensis cum  
 infauktis exercitus sui reliquiis ad  
 Mansfeldium confugit, qui tum Ha-  
 genoam urbem, quam Leopoldi Archi-  
 ducis copię ante cinxerant, obsidione  
 libe-

liberaturus accurrit, nec improspere Sæc. XVII.  
 successu; cum enim Archidux in ejus A. C. 1622.  
 occursum mille cataphractus emitteret,  
 aditum hosti occlusurus, hi Oberntrau-  
 tio, quem Mansfeldius opposuerat,  
 ignava manu resistentes, tandem ar-  
 repta fuga in castra reversi sunt, ac  
 validissimum hostem instare mentiti,  
 tanto terrore castra repleverant, ut  
 ceteri quoque relictis omnibus, par-  
 tim in sylvas, partim in oppida sine  
 lege profugerent, qui tamen ferme  
 omnes ab insequentibus Mansfeldicis  
 cæsi, aut sub signa redacti sunt. Inde  
 Mansfeldius, rursus Spirensi Episco-  
 patu misere devastato, unacum Fri-  
 derico Palatino concubia nocte Ludo-  
 vici Darmstadiensis Landgravii, qui  
 ob præstitam Imperio, & Cæsari con-  
 stantiam cognominabatur *Fidelis*, di-  
 tionem inopina vi invalit, captaque  
 urbe suis militibus omnem prædandi  
 sæviendique facultatem concessit; Ra-  
 ro tum visa fuit militiæ ferocientis om-  
 niaque pro libidine tentantis major ad  
 omnem immanitatem licentia: integri  
 armentorum greges abiguntur, spolian-  
 tur domus, torquentur incolæ, & nec  
 miserorum planctus, nec infantium ac  
 mulierum lacrimæ, nec Virginum, &  
 Matronarum preces libidinosi militis  
 petulantiam, crudelitatemque emolire

Bellus I. d. 1622  
 August. 1. d. 1622  
 August. 1. d. 1622  
 August. 1. d. 1622  
 August. 1. d. 1622

Sæc. XVII. poterant: Ipsa etiam Landgravii civi-  
A. C. 1622. tas militum direptioni ac libidini fuis-  
 set exposita, nisi Dux Saxo-Vinariensis  
 hisce prædonum ausibus sese op-  
 posuisset: Horum tamen cruentas  
 manus haud effugere poterat ipsemet  
 Landgravius, nullius criminis, nisi de-  
 biti in Cæsarem obsequii reus: quam-  
 vis enim per occultas vias secederet,  
 in via tamen agnitus, a truculento mi-  
 lite captus in arcem deducitur, ubi  
 autem Tillium pro liberando Landgra-  
 vio instare compererat Mansfeldius,  
 illum Manheimium in custodiam secum  
 abduxit, cujus postremum agmen Til-  
 lius, qui fugientem strenue insequeba-  
 tur, ingenti clade affectit, magna etiam  
 prædæ parte hostibus erepta, quæ eo  
 opulentior erat, quo Mansfeldiani la-  
 tronum more in stipendii vicem præ-  
 dandi impunitatem nacti, pauperum  
 & Ecclesiasticorum spoliis magis, quam  
 causæ partium studebant.

## §. XIII.

*Christianus Brunsvicensis Dux, Pseu-  
 do - Episcopus Halberstadiensis  
 Hæchstæ a Tillio cæsus.*

*Bellus Laur.  
 Austr. l. 6.  
 Annal. Boic.  
 Adlzreit.  
 p. 3. l. 7.*

Dum hæc in Palatinatu gerebantur,  
 Christianus Brunsvicensis Dux, qui  
 pariter bellandi artem in prædandi dex-  
 teri-